

riis; verba tacturus, sub initium statim sermonis, occasione
verborum Cantici: *Indica mihi, quem diligit anima mea, ubi pascas,*
ubi cubes in meridie, dicit: *Studiosis mentibus verbum Sponsus fre-*
quenter apparet, & non sub una specie. Quid ita? Profecto quoniam
nondum videtur, sicuti est. Et paulo post: *Talis visio (loquitur*
de intuitiva) non est vitæ præsentis, sed in novissimis reservatur,
bis duntaxat, qui dicere possunt: scimus, quia, cum apparuerit, si-
miles ei erimus, quia videbimus eum sicuti est, (I. Joh. III.) Et
nunc quidem apparet, quibus vult, sed sicuti vult, non sicuti est. Non
sapiens, non sanctus, non Prophetæ, videre illum sicuti est, potest, aut
potuit in corpore hoc mortali; poterit autem in immortali, qui dignus
habetur. Itaque videtur & hic sed sicut videtur ipsi & non sicuti est.
Pergit itaque in hujus argumenti declaratione, dumque va-
rias Dei manifestationes in hac vita memorat, subinde illud
repetit, quod primum dixerat, & interserit, v. g. quando de
de illa loquitur, qua Deus ex rebus creatis cognoscitur; *Nu-*
merositas specierum in rebus creatis, ait, quid nisi quidam sunt radii
Deitatis, monstrantes quidem, quia (quod) vere sit, a quo sunt, non
tamen quid sit prorsus definites? Itaque de ipso vides, non ipsum.
Deinde, Alius, inquit, procul dubio ille modus (est,) quo quondam pa-
tribus crebra illa atque ambitiosa Divina præsentie familiaritas di-
gnanter induita est, quamquam nec ipsis sicuti est, sed sicut dignata est.
Rursus cum de ea locutus esset, quæ nobis per excessum pure-
mentis in Deum, sive Dei pium descensum in animam obtingat;
Non tamen, addit, adhuc illud dixerim apparere, sicuti est. Item
cum ostendislet, quomodo Deus fidelibus in quovis casu aut
necessitate commodum ac salutarem se manifestet, variis simi-
litudinibus eam adumbrari dicit, eoque pertinere, quod dica-
mus vivere sub umbra ejus inter gentes (Thren. IV.) quod scilicet
videamus nunc per speculum & in ænigmate; & nec dum facie ad
faciem. At istud sane subjicit, donec vivimus inter gentes. Nam
inter Angelos aliter; &c. Quando jam indifferenti omnino felici-
tate cum ipsis videbimus eum & nos sicuti est, hoc est in forma Dei,
& non in umbra. Quomodo namque apud veteres quidem um-
bram figuramque dicimus extitisse, nobis autem per gratiam Christi

E 3

in